



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 60. Canon hanc in rem confectus a Granatensi impugnatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

tix suæ testimonium sibi tradi voluit a primo Legato, quod etiam seorsim factum fuit.

§. LX.

Canon hanc in rem confectus a Granatensi impugnatus.

Pallav. n. II. **R**ebus facilioribus in hoc confessu expeditis, Granatensis Archiepiscopus, qui mane facultatem petierat extra Ordinem loquendi, proluxa oratione impugnabat Canonem sibi non probatum, cum eundem S. Dionysio, cui tractatum de Cœlesti Hierarchia adscribebat, necnon S. Maximo, & D. Chrysostomo, contrarium putaret, nam hi sancti Doctores collationem Sacerdotii tribuunt illis verbis a Christo prolatis postquam resurrexit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Ast Patres pertæsi tam labores integræ diei, totque sermones, quam pertinaciam hujus Præsulis, communitententiæ reluctantis, fere omnes exclamabant: persistendum esse in eo, quod statutum. Verum Osius Legatus aliquid sibi dicendum putabat, ut suam sententiam, quæ jam universalis in Synodo evaserat, propugnaret: idcirco geminam potestatem distinxit, a Christo Sacerdotibus traditam, quarum una ad verum ipsius Corpus attinet, altera veto tangit corpus mysticum, quod

ex

ex fidelibus constat: porro priorem, quæ Sæcul. XVI.
 facultatem consecrandi importat, fuisse A. C. 1562.
 illis traditam aiebat in cœna, cum
 nullus ex antiquis Patribus id negaret;
 posteriorem vero, quæ auctoritatem ab-
 solvendi complectitur, eam asserebat ef-
 se, quam Christus redivivus communi-
 nicavit.

Postea ceteri Prælati hanc in rem
 verba facere, ac ea, quæ Granatensis
 Episcopus objicere, ac fors proponere
 posset, diluere incipiebant, atque inter
 illos præcipue Episcopus Dertusensis,
 Hydruntinus Archiepiscopus, & Lite-
 ranensis Antistes perorabant: Verum
 vix non disputatio in clamores, ac tu-
 multus degenerabat, quapropter Man-
 tuanus Cardinalis præceperat, ut suo
 quisque ordine sententiam pro digni-
 tatis suæ ratione proferret: ubi omnes
 Canoni favebant, & parva contradi-
 centium cohors duas in classes abibat:
 quorum alii hunc Canonem esse qui-
 dem verum asserebant, sed tanquam
 immaturum rejiciebant, & ii erant Ar-
 chiepiscopus Bracarensis, necnon Epif-
 copi Segoviensis, Almeriensis, Aurien-
 sis, Senogallensis, Ostunensis, Legio-
 nensis, Ilerdensis, Famagustanus, E-
 piscopus S. Pauli alias nominatus, nec
 non Hieronymus Savorgnanus, aliique,
 qui hunc Canonem non esse promul-
 gandum

Sæc. XVI.
A C 1562

gandum opinabantur: alii vero dubitationem de rei veritate indicabant, præsertim Guerrerus, & Fuscararius, qui significabat, quod censeret, id adversari Alexandro III. Pontifici, necnon S. Augustino in veteris, & novi Testamenti quæstionibus, & S. Thomæ: interim prima noctis hora jam pene effugerat: quapropter Præsidum primus, cum disputationem longius protraheretur, ut tandem finem imponeret, statuit, ut Canonis defensores, qui erant quamplurimi, sententiam suam simplici dicto pronuntiarent, impugnatoribus autem utpote paucis, permittebat rationes adducere, quibus id alteri parti persuaderent: postquam ergo suffragia colligebantur, vix triginta numerabantur, qui Canoni adversarentur, ceteris omnibus illum approbantibus: quocirca una omnes decreverunt, altera die decima septima Septembris celebrare Sessionem, quæ tamen diverſa esset ab illa, quæ usque ad duodecimam Novembris diem juxta datam fidem differebatur.

§. LXI.

Synodi Sessio vigesima secunda, ac sexta sub Pio IV.

*Lab. Collect.
Conc p. 852.*

Itaque celebrabatur Sessio, quæ a Synodi principio vigesima secunda, ac

sub